





7754.

I. N. J. A.

1721

30

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

JURIBUS XENO- DOCHIORUM,

PRÆCIPUE CIRCA SUCCESSIO-
NEM IN BONA INGRESSORUM,

Quam
Juvante DEO T. O. M.

Consensu Magnifici Jctorum Ordinis
in Alma Gryphica,
PRÆSIDE

VIRO Excellentissimo, Amplissimo, Consultissimo

DN. PHILIPPO BALTHASARE
GERDES,

Jcto & Antecessore celeberrimo, Consistorii Regii Assessore
gravissimo, & Facultatis Juridicæ Decano,

Patrono & Promotore suo æternum devenerando,

Pro consequendis summis in utroque Jure honoribus;

die 12. Junii Anno 1721. horis consuetis

publico eruditorum examini submittet,

LUCAS FRIEDERICH SCHRÖDER,

Güstrov. Megip.

Summi Tribunalis & Dicasterii Regii Advocatus.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.



Q. D. B. V.

CAPUT I.

DE

XENODOCHIIS IN GENERE.

SUMMARIA.



*R*efertur dictorium B. DN. D. KRAKEVITZII, Superintendentis quondam Generalis in Pomerania §. I. Bona Ecclesiastica & Monasteriorum tempore Reformationis B. LUTHERI à terrarum Dominis & urbium Magistratibus occupata fuerunt §. II. Firmavit hanc occupationem Transactio Pasaviensis & Pax Religiosa §. III. haud tamen aliter, nisi si in usus sacros convertantur §. IV. quod rationibus adstruitur §. V. Respondetur ad legem obstantem §. C. de pagan. sacrif. & templ. §. VI. Laudatur Magistratus, qui bona Ecclesiastica usibus sacris dicarunt §. VII. Origo Xenodochiorum §. IX. Explicatur rubrum Dissertationis §. IX. Vocabulum Xenodochii in latiori significatione sumitur §. X. recensentur species Xenodochiorum §. XI. & affertur definitio Xenodochii §. XII.

§. I. Verum

§. I.



Erum omnino fuit disterium illud, quod Beato D. BARTHOLDO KRAKEVITZIO, Superintendenti quondam Generali in Pomerania occidentali & Principatu Rugiæ, Theologo de Ecclesiis Pomeranicis immortaliter merito semper in ore fuit: *Evangelium ad Pomeranos*, (Imo etiam alias gentes,) *non-venisse tanquam mendicum*, (bas Evangelium wâhre in Pommern nicht als ein Bräcker gekommen,) *sed secum attulisse opimos proventus, & ditissimos redditus*, uti hoc ipsum refert STYPMANNUS in *Tra-ctatu suo posthumo de Salaris Clericorum Cap. 10. n. 298.*

§. II.

Certè, si Annales non saltem Pomeraniæ nostræ, sed & aliarum Provinciarum Regnorumque, quibus Lux purioris Doctrinæ post cæptam Reformationem B. LUTHERI affulsit, introspeciamus, facile innotescet, Clericos Monachosque, Pontificiæ Religioni addictos, non modo Cænobia ipsa, Asceteria, Monasteria, Commendas, Conventus, Beginas, Hospitalia, &c. sed etiam cum iis ingentes divitias, latifundia, redditus, proventus, decimas, agros, &c. reliquisse, quæ omnia postmodum à Regibus, Principibus & Magistratibus civitatum, imo etiam privatis occupata, fuerunt.

§. III.

Hæc occupatio jure ne an injuria contigerit, multum quidem tunc temporis inter Pontificios & Nostrates disceptatum fuit, illis id ipsum negantibus, his vero asserentibus, cujus rei in utramque partem adductas

rati ones hic loci inserere velle, nimis prolixum foret, ne instituti nostri ratio permitteret. Interim tamen per Transactionem Passaviensem, anno 1552. initam, & Pacem Religionis, quæ anno 1555. in Comitibus Augustanis priorem insecuta fuit, multosque Reversus Imperii hæc controversia definita, & Principibus Statibusque Imperii Protestantibus non solum Jus Episcopale, exterminatâ omni Tyrannide Papali, concessum, sed & jus circa bona Ecclesiastica à Clericis Monachisque relicta, firmatum, & eo ipso occupatio eorundem pro-
 justa & legitima declarata fuit.

§. IV.

Tantum vero abest, ut statuamus, per hæc Constitutiones Imperii dominium istorum bonorum in Protestantes esse translatum, aut potestatem reformandi in compensationem accepisse potestatem appropriandi, ut potius per easdem saltem Pontificiis jus repetendi abscissum, jus administrandi vero bona illa Ecclesiastica tantum Protestantibus concessum fuerit, & quidem non pro lubitu & ad profanos, sed solummodo ad sacros usus, nimirum ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ & Scholarum, alendos miseros, pauperes, debiles, egenos, orphanos, &c. &c.

§. V.

In hanc sententiam omnes, quod scio, & Theologi & Jure Consulti Nostrates conveniunt, nec desunt rationes pro istâ stabilienda. Ita quippe (1) ressemel DEO dicata ad usus profanos ulterius transferri non potest nec debet. *Reg. si. de Reg. Jur. in 6. leg. 21. C. de SS. Eccles.* quod jus & ab ipso Jehova ortum, & lege
 naturæ

naturæ ac communi gentium jure sancitum esse notat, & dictis Scripturæ Sacræ effaroque Ciceronis comprobat *Cobmannus Vol. 2. Resp. 100. n. 18. 19.* (2) Ultima voluntas hominis inviolabiliter est servanda, & nihil est, quod magis hominibus debetur, quam ut suprema voluntatis, (postquam jam aliud velle non possint,) liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, sunt verba legis *1. C. de SS. Eccles.* (3) Evincit id ipsum Pacificatio Religiosa in § *newell aber 2c. 2c.* & in §. als auch 2c. 2c. quorum genuinum sensum hunc esse omnes fatentur, quod bona Ecclesiastica Protestantibus in administrationem concessa, ex mutua stipulatione pacifcentium non in alios quam sacros & pios usus debeant converti. *Styrmannus dict. Tract. de Salaris Clericorum Cap. 10. n. 200. Brunnemannus de Jure Ecclesiast. Lib. 2. Cap. 3. §. 5. Carpz. in Jprud. Conslt. Lib. 2. Tit. 21. Def. 332. n. 13. & in Jprud. Forensi. Part. 3. Conslt. 13. Def. 27. n. 6.*

§. VI.

Obstare equidem hisce videtur lex *s. C. de pagan. sacrif. & templ.* in qua jubent Imperatores **HONORIUS & THEODOSIUS** omnia illa loca, quæ sacris veterum error deputavit, rei suæ dominicæ sociari, cujus adductu forsitan quis inferret, justè Fisco applicari bona Ecclesiastica & Monasteriorum, cum antiqvi Fundatores ex superstitione Papisticâ cultibus idololatricis & S. Scripturæ haudquaquam conformib9, utpote pro requie & redemptione animarum è purgatorio, pro celebratione Missarum, invocatione Sanctorum, &c. ista dicaverint. Sed, quemadmodum in dicta lege sermo tantum est de templis gentilium, non DEO, sed Diabolo & idolis consecratis, ita ad bona Ecclesiastica & Monasteriorum, de

quibus nobis quæstio est, haud patitur applicationem, quippe cum ista omnino vero DEO sint sacrata, licet ex infirmitate & ratione seculi aliquid superstitionis admixtum fuerit, quod vitiosum demendum est, bonitate in suo vigore relicta, vel ei iterum asserenda arg. leg. 16. ff. de usu. & usufr. leg. Stypmann. dict. loc. n. 290. Cotbmannus Responsio supra citat. 100. vol. 2. n. 33. seq.

§. VII.

Sicuti autem modo laudatus Stypmannus n. 337. & seqq. Illustrissimos Pomeraniæ Principes dignis evehit encomiis, quod tempore purgatæ Religionis per Lutherum à scoriis Papisticis bonorum Ecclesiasticorum sollicitam curam habuerint, multisque Constitutionibus profanationem eorundem & applicationem ad alios, quam pius usus inhibuerint, (licet ipsemet fateatur, effectum voluntati & piæ intentioni non per omnia respondisse,) ita quoque laudibus suis haud sunt defraudandi Magistratus in civitatibus, qui post acceptam doctrinæ Evangelicæ veritatem relicta à Monachis Cœnobis, & cum iis amplissimos proventus non in profanos usus converterunt, sed omnia ista in sustentationem pauperum, miserorum, orphanorum, imo in utilitatem Ministrorum Ecclesiarum & Scholarum collocarunt.

§. VIII.


Acceperunt hinc Natales suos Xenodochia, quæ in civitatibus Lutheranæ Religionis addictis hodiernum reperuntur, plurima minimum, cum negari nequeat, etiam post tempora Reformationis multos fuisse, qui pietate ducti Fundationes sacras, imo Xenodochia nova constituerunt, aut jam constitutis per donationes & legata

& legata addiderunt, ut tanto lautiores conditionem
nacta fuerint.

§. IX.

Quum vero de horum juribus seu privilegiis in
præsenti Dissertatione agere constituerimus, ne illotis,
quod ajunt, manibus rem aggrediamur, primum nobis
explicandum venit pro more consueto Rubrum, e quo
tamen, cum ceteri termini evolutione haud indigere
nobis videantur, saltem sumemus vocabulum Xeno-
dochiorum, quod derivatur à græco ξένος hospes vel
peregrinus, & *δεξασθαι* capere, atque ita secundum ver-
borum significationem nihil aliud est, quam recepta-
culum peregrinorum, diversorium, vel quod ei syno-
nymum est, hospitium aut hospitale. Quid porro sibi
velit vocabulum ingressorum, per se facile apparebit,
circa quod tamen monendum duximus, nobis istud
ideo arrisissè, quia in materia Monachorum & Mona-
steriorum, (quorum jura antiqva etiam Xenodochia
aliquatenus hodie participare *Cap. 3.* demonstrabitur,)
admodum frequens est, *vid. aut. b. ingressi C. de SS. Ecclesia.*
Vocantur alias quidem ingressi, seu qui in Xenodochiis
aluntur & sustentantur, *Lynckero in Responso suo 138.* Præ-
bendati & Hospitalarii, sed rectius sub voce Hospitala-
riorum intelliguntur administratores hospitalium vel
Xenodochiorum. *Brunnem. ad leg. 32. C. de Episcop. &*
Cleric. n. 1. Carpz. Jurud. Forensi. P. I. Consil. 28. Def. us. n. 2.
Denique vox bonorum in rubro contenta non saltem
denotat ista bona, quæ quis actu & naturaliter possidet
& in dominio habet, sed etiam quæ alicui sunt in actio-
nibus, petitionibus & persecutionibus, idque secundum
leg. 42. & 143. ff. de V. S.

§. X. Sumi-



monobibago monobibago §. X. u. inuocabile ergo

Sumitur autem nobis vox Xenodochii in latiori sua significatione, secundum quam comprehendit omnia pia loca, recipiendis & alendis egenis, debilibus, senibus, pupillis, advenis & peregrinis destinata, sicuti cuncta illa sub nomine Hospitalium vel Xenodochiorum hodie venire notat *Duarenus de Sacr. Eccles. Minister. Lib. 2. Cap. 4. circa finem.* *Ziglerus ad Lancellottum Lib. 2. Tit. 23. §. 1.*

§. XI.

Sunt alias varia Xenodochiorum species, veluti Ptochotrophia, in quibus aluntur mendici & pauperes *l. 19. §. 22. C. de SS. Eccles.* Orphanotrophia, quæ educant minores parentibus & facultatibus destitutos *l. 32. C. de Episc. & Cler.* Brephotrophia, quæ alumnos habent infantes, præsertim exposititios. Nosocomia pro valetudinariis, Gerontocomia, in quæ recipiuntur senes *dist. leg. 19. §. 22. C. de SS. Eccles. Carpz. Jprud. Consist. Lib. 2. Def. 330. n. 4. s. 6.* Quibus addi possunt Asceteria pro virginibus, vel, ut græco vocabulo utamur, Parthenotrophia, quæ hodie apud nos haud rarafunt.

§. XII.

Iam quod ad definitionem Xenodochii attinet, ista ex adductis facile patebit, est nempe locus publica auctoritate ad id constitutus, ut pauperes, debiles, senes, (cujuscunqve etiam sint sexus, sive viri, sive mulieres, istæque vel nuptæ vel innuptæ,) pupilli &c. in illis recipiantur, & ex proventibus sustententur. *vid. etiam c. 2. quia contingit. Clement. de religiosis domibus.*

CAP. II.

CAPUT II.

DE

JURIBUS *vel PRIVILEGIIS*
XENODOCHIORUM, *quæ ipsis cum aliis piis*
causis communia sunt.

SUMMARIA.

Xenodochium est pia causa & censetur juribus earundem
 §. I. atq; ideo fruitur privilegiis pupillorum (1) circa
 restitutionem in integrum §. II. & competit ei electio,
 an velit contra administratorem agere, an vero con-
 tra factum restit. in integr. petere. §. III. Intra quod tempus hæc
 restit. in integr. peti debeat. §. IV. Res Xenodochiorum immo-
 biles quomodo justè alienentur. §. V. Competit Xenodochio (2)
 hypoteca in bonis administratorum, imo etiam aliorum. §. VI.
 Refertur privilegium Xenodochiorum circa ultimas voluntates,
 §. VII. circa donationes inter vivos. §. VIII. Tractatur privi-
 legium Xenodochiorum circa contractum emtionis - venditionis,
 §. IX. circa reliquos contractus remisive. §. X. Refertur pri-
 vilegium Xenodochiorum circa usuras §. XI. & circa solutionem
 §. XII. in concursibus Creditorum §. XIII. incidenter disquiritur,
 an hæc privilegia aliis cedi possint §. XIV.

§. I.

Quæmodum apud omnes tam Juris Civilis,
 quam Canonici Interpretes in confesso est, Xeno-
 dochia piis causis esse annumeranda, præsertim si pu-
 blica auctoritate fuerint constituta *Brunnem. ad leg. 17. C.*
de SS. Eccles. n. 6. ita nullum plane est dubium, quin & juri-
 bus earundem ceteri, & privilegiis illarum gaudere debe-

B

debe-

debeant. Placet itaque de juribus Xenodochiorum, quæ illis cum aliis piis causis communia sunt, in hoc Capite aliqua saltem prælibare, relicto peculiari jure eorundem, quod est circa successione in bona in greforum ad *Cap. 3. Dissert. nostræ.*

§. II.

Est vero inter illa haud è postremis, quod Xenodochia æquivalentur pupillis, adeoque fruuntur omnibus beneficiis, quæ pupillis & minoribus per jura indulta sunt *arg. l. 32. C. de Episc. & Cler. Brunnem. de Jure Ecclæs. Lib. 2. Cap. 14. §. 7. & Strickius in notis ad h. §. Carpz. Resp. Jur. Elect. Lib. 4. Tit. 6. Resp. 46. n. 6. Lincker Resp. 50. n. 25. Ziglerus ad Lancellottum Lib. 3. Tit. 18. ad verba: Minor igitur. Ad exemplum itaque pupilli & minoris potest Xenodochium restitutionem petere contra quæcunq; gesta vel judicialia, vel extra judicialia, per quæ læsum fuit *Cap. 1. 2. 3. & X. de restit. in integr. Struvig S. J. C. Exercit. 8. th. 14. & Dres paulo ante allegati.* Imo melior adhuc est circa hanc rem conditio Xenodochiorum quam minorum: his enim dum denegatur restitutio in integrum, si super contractu juraverint per *auth. Sacramenta puberum C. si adversus vendit.* illis tamen conceditur, etiamsi contractus juramento Administratorum fuerit confirmatus. *Sichardus ad leg. 4. C. quibus ex caus. maj. Ec. Ec.* Præcipue etiam circa contractum locationis - conductionis observandum esse monet *Suryckius in notis ad Brunnem. Jus Eccl. Lib. 2. Cap. 15. §. 7.* quod Ecclesia, (idem est cum Xenodochio *Carpz. Resp. Jur. Elect. Lib. 5. Tit. 6. Resp. 52. n. 4.*) locans res suas minori pretio, propter læsionem etiam non enormem restitui possit, & sufficiat, quod alius plus dare velit, licet antea res non pluries locata fuerit,*

fuerit, quamvis aliis hoc privilegium non immerito
dubium videatur argumento illorum, quæ tradit *Amo-
lung de conduct. rei. Dominica c. 38. §. 8.*

§. III.

Competit autem Xenodochio electio, an velit
contra administratorem negligentem agere, an vero
contra factum restitutionem petere, & hoc iterum ad
exemplum minorum, quibus hoc ipsum de jure con-
cessum est *leg. 3. §. 5. C. si tut. vel cur. interv. leg. fin. C. si
adversus rem judic. Mev. P. 7. D. 286.* Sed aliud statuere
& à se ipso dissentire videtur, *Mev. P. 8. Dec. 80. not. 8. ibi,
est. quidem ei, contra quem petitur in integrum restitutio, ex eo
exceptio, quod à tutore, qui actum gessit, servari possit indemni-
tas, &c.* unde ad Xenodochia sic inferri posse videtur,
illum, contra quem restitutio in integr. petitur, excep-
tionem opponere posse, quod ab administratore in-
demne servari possit Xenodochium. Verum ne Mevium
contradictionis & variationis temere cum *Zaunschliffero
in variat. 24.* arguere opus sit, magis placet cum *Scharen-
borstio in concil. ad var. 34.* asserere, sententiam Jctorum
à Mevio in *not. all. 8.* adductam non approbari, sed saltem
referri. Quare illationem ad hospitalia juri minime con-
venientem, & falso supposito innixam, merito rejicim.
Carpz. p. 2. C. II. Def. 34.

§. IV.

Quemadmodum vero restitutio in integrum mino-
rum post impletam majorennitatem petenda est contra
actus validos & subsistentes intra quadriennium *leg. ult.
C. de temp. in integr. restit.* actus vero per se non subsistentes
quingvenniali detrum silentio convalidantur, scilicet, si

alienatio ex causa onerosa facta, *l. fin. C. si maj. fact. alien. Carpz. Resp. Jur. Elect. Lib. 5. Resp. 76. n. 6. 7.* ita parili modo restitutio in integrum Xenodochiorum & querela nullitatis intra quadriennium vel quinquennium à tempore læsionis computandum peti & institui debet *C. 1. 2. in 6. de restit. in integr. c. un. Clement. eod.* nisi læsio facta administratoris contigerit, tunc enim demum ab eo tempore, quo mortuus fuerit administrator, currit hoc tempus *Struv. S. J. C. Exercit. 8. th. 64.* quoniam vulgaris est Doctorum opinio, ex causa rationabili, etiam post finitum illud tempus, restitutioni locum dari, uti hoc quoque ex adducto *Cap. 1. in 6. de restit. in integr. liquet. vid. Carpz. Resp. J. El. Resp. 96. Lib. 2. ubi num. 10. & seqq.* pro causa rationabili allegat ignorantiam sententiæ latæ damnive dati, item damnum eminentissimum & læsionem enormissimam, in tantum, ut si centum etiam anni essent elapsi, restitutio in integrum nihilominus deberet concedi.

S. V.

Sicuti porro res pupillorum immobiles sine Decreto Magistratus & præviâ causæ cognitione alienari non debent *vid. tot. tit. ff. de rebus eorum qui sub cur.* ita pari modo res Xenodochiorum immobiles aut etiam pretiosiores sine justa causa & debitâ solennitate in alios transferri non possunt. Quoniam sunt istæ solennitates, quoniam justæ causæ ad alienationem necessariæ, exponitur in *authent. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. & in can. 2. caus. 10. quest. 2.* in quo hæc authentica canonizata est. Negat autem *Carpz. Resp. J. El. Lib. 5. Tit. 6. Resp. 52. n. 25. & seqq.* solennitates Canonicas circa alienationem requisitas hodie tam strictè & scrupulose, etiam apud ipsos

ipfos Pontificios, observari, aut status Imperij Evangelicos ad istas obstrictos esse, ductu *Recessus Imperii de anno 1555. §.* *Die weil ober eiliche Stände / ic.* cui ad stipulatur *Brunneman. in Comment. ad C. ad dict. authent. n. 14.* ubi simul fatetur, secundum mores nostros ad alienationem rerum ecclesiasticarū vel Xenodochiorum, missis solennitatibus Canonicis, nihil aliud amplius requiri quam (1) cognitionem causæ, (2) necessitatis vel evidentis utilitatis probationem, & (3) Decretum superioris.

§. VI.

Uterius Xenodochio vel hospitali ad instar minorum competit hypotheca tacita in bonis hospitaliorum vel administratorum suorum, *Siruv. S. J. C. Exercit. 24. th. 15. Carpz. Jprud. Forens. Part. I. Constit. 28. Def. us. quæ hypotheca incipit non à tempore inchoatæ administrationis, sed à die suscepti & confirmati officii, cum non minus de neglectis, quam malè administratis teneantur administratores. Carpz. dict. loc. Def. 14.* Peculiare est circa jus hypothecæ in Saxonia, quod ibidem secundum Constitutiones Provinciales Xenodochia semper habeant hypothecam tacitam in bonis debitorum suorum, etiam ratione pecuniæ mutuo datæ. *Idem Def. 16.* id quod etiam apud nos in Pomerania obtinere putamus, cum in *Constitutione von Kirchen-Schulden §. I.* circa finem fere dispositum reperiatur: *daß denen Hospitalen ic. auch extra Concursum das jus tacite hypothecæ benzeleget und zugebilliget werden solle / licet alias sine juris sanctione & lege expressa hypotheca tacita haud inducatur. Gloss. fin. in leg. 2. ff. de privil. credit. Carpz. Decis. Illustr. P. III. D. 277. n. 21.* Pariter dubitandum haud est, quin Xenodochio

Xenochio in re pecunia ejus ab alio, quam administratore emta, hypotheca, in re vero ab ipso administratore comparata non saltem hypotheca, sed & dominium ipsum detur, *Brunnem. de Jur. Eccles. Cap. 15. §. 1. & Strjkins in notis ad h. l.* idque iterum ad exemplum minorum, quibus jura in talibus casibus ita subveniunt, *leg. 3. C. arbitr. tutel. l. 2. ff. quando ex facto tutor. l. 7. ff. qui potiores in pignore. Carpzov. Jprud. Forens. P. I. Constit. 28. Def. 109. & Dñes ibidem allegati.*

§. VII.

Quod ad ultimas voluntates attinet & in his pecuniaria jura vulgo tribuunt Xenodochiis. Itt nimirum, si in testamento heres sit institutum Hospitale quoddam, valet id ipsum, si duo saltem fuerint adhibiti testes *c. n. X. de testamentis*, imo ex interpretatione multorum Jurisprudentum, etiamsi plane nulli adfuerint, sed tantum modo à testatore in schedula conscriptum sit. *Struv. Jprud. Forens. 2. Tit. 16. §. 13. Reüsnerus de Testamentis P. 4. C. 12. n. 5. Richter Decis. 28. n. 15.* ubi hoc præjudicio confirmat. Ratio ejus in hoc consistit, quia pia causa non adstringitur ad solennitates Juris Civilis, sed ad simplicitatem Juris Gentium redit *dict. c. n. X. de testamentis Fagundez de Inst. & Contract. Lib. 4. Cap. 9. n. 6.* secundum illud vero ad substantiam testamenti nihil amplius requiritur, quam ultimæ voluntatis declaratio & probatio, quæ non solum per duos testes, in quorum ore, testante ipsa S. Scriptura, omnis veritas consistere debet, sed etiam per schedulam ab ipso testatore scriptam fieri potest, dissentit. *Mev. ad Jus Lib. p. 2. art. 2. n. 57. & 58.* ubi refert, dispositionem, quæ quis bona sua hospitali post mortem assignaverat, invalidam pronuntiatam esse, quia

quia sine testibus fuit. Ex eadem ratione legata Xenodochiis valida sunt, si vel duo testes praesentes fuerint, vel nuda etiam scriptura consent *B. de Lyncker Resp. 84. n. 7.* (sed aequè *Mev. ad Jus Lub. P. II. tit. 1. art. 13. mandat. ad n. 32. negat.*, solam scripturam testatoris sine duobus testibus ad legatorum in pias causas relictorum robur sufficere) etiam ex testamento, non saltem ratione solennitatis, sed etiam ratione voluntatis imperfecto, scilicet quoad formam ipsi alias destinata, aut quantum rei legandae indefinitum, quippe quod iudex determinare debet. *Idem Resp. 101. n. 17. & 24. Brunnem. ad leg. 35. ff. de fideicommiss. libert. aut irrito, imo plane nullo, id quod praecipue Jure Lubecensi, quo in civitatibus Pomeraniae utimur, Part. II. Tit. I. art. 13. constitutum reperitur, vid. Mev. in comment. ad h. art. ubi plura horum legatorum adducit privilegia.* Notandum quoque est, quod legata & fideicommissa in Xenodochia collata a detractioe quartae Falcidiae ut & Trebellianicae immunia sint *autbert. similiter ad leg. Falvid. Struv. S. J. c. exercit. 36. sb. 33. Mev. ad Jus. Lub. P. 2. Tit. 1. art. 7. n. 14.*

§. VIII.

Parili modo donationes inter vivos Xenodochiis factae, etiam de omnibus bonis, tam praesentibus quam futuris, valent, quamvis nemo nomine ipsorum acceptaverit. *Tiraquell. de privoil. pia caus. pr. 115. & si excedant 500. aureos, de Jure Canonico, quod in materia piarum causarum attendendum est, judiciali insinuatione haud indigere volunt.* *Tiraquellus pr. 124. Zoes. ad tit. ff. de donat. n. 48. seqq. Richter Part. I. Decif. 28. n. 17. Brunnem. ad leg. 17. C. de SS. Eccl. n. 10. & in Jure Ecclesiastico Lib. 2. Cap. 15. §. 21. Stryckius in notis ad h. §.* Sed, cum inter jus Civile

Civile & Canonicum nulla si concedenda differentia, nisi evidenter de ea constet *Arth. Duckius de auct. jur. Rom. Lib. 1. Cap. 7. n. 13.* ex hoc autem nullus textus allegari possit, per quem probetur, donationes tales etiam sine insinuatione judiciali valere debere, merito sequimur Jus civile, quod ejusmodi donationes, excedentes 500. aureos, expresse improbat, & ad validitatem earundem insinuationem judicialem requirit per *leg. 19. C. de SS. Eccl. leg. 34. §. 1. leg. 35. §. ult. C. de donationibus.* Hinc & contrariam sententiam amplectitur *Carpz. in Jprud. Forens. p. 2. const. 12. Def. 13. Peretz. in Cod. ad Lib. 1. Tit. 2. n. 12. & Eibenius in notis ad b. l.*

§. IX.

Quod si porro contractus singuli perlustentur, nullus fere erit, in quo singularia sua jura non habeant Xenodochia. Sic e. g. in contractu emtionis-venditionis etiam sine traditione Xenodochio acquiritur dominium *l. 23. c. de SS. Eccl. Brunnem. ad h. leg. n. 8.* ex quo sua sponte sequitur, quod, si res primum Xenodochio, deinde alteri vendita & tradita sit, non tamen hujus tanquam possessoris potior sit ratio juxta *leg. 15. c. de R. V. sed Xenodochium ipsi nihilominus præferendum.* *Stryckius in notis ad Brunnem. J. Eccl. Lib. 2. cap. 14. §. 4.* Cumq; ad naturalia contractus emtionis venditionis pertineat præstatio evictionis *leg. 11. §. 2. de act. emt.* hæc vero secundum jus Commune requirat, ut venditori lis denunciatur *l. 8. c. & l. 29. §. ult. ff. de evict. & dupl. præst.* singulare est circa Xenodochia, quod non teneantur literi denunciare suis venditoribus, sed hi proprio motu ista defendere debeant. *Brunnem. cap. 15. §. 4.*

§. X. Quæ

§. X.

Quæ singularia ulterius obtineant in contractibus locationis - conductionis, emphyteuseos, mandati, mutui, depositi, fidejussionis, &c. &c. latè exposuit *Brunnemannus in sepe citato Tractatu de Jur. Eccl. Lib. 2. Cap. 15.* & *Tiraquellus de privilegiis pia causa*, quæ omnia ad Xenodochia nostra proprio jure accommodari possunt, ad quos & alios ibidem allegatos Auctores brevitatis studio, & ne ad molem Tractatus exurgat Dissertatio, B. L. remittimus.

§. XI.

Cum etiam in plurimis Contractibus usuræ veniant præstandæ, & circa easdem legibus cautum sit, ne ultra alterum tantum peti possint *Nov. 121. c. 1. §. 2. Nov. 138. §. leg. 26. §. 1. de condict. indeb.* multi tamen DDres contendunt, quod Xenodochiis integrum sit, easdem etiam ultra alterum tantum petere *arg. nov. 160. cap. 1. add. Recess. Imperii de anno 1654. §. 174. Brunnem. ad leg. 17. ff. de pactis n. 9. Carpz. Resp. Jur. Elect. Lib. 4. Resp. 49. Meru. P. 7. D. 136.* Pro rationibus adducunt, quod (1) pia corpora usuras, quantumvis de iis convenerint, non ut usuras, sed ut interesse petere censeantur *Heig. Part. 2. quest. 1. n. 141.* (2) quod usuræ istæ sustentationi piorum corporum dicatæ sint velut alimenta, sine quibus subsistere nequeant, ut aut oporteat illas adjudicare, aut vero pietatem destituere & illa pessundare. Ast ab hac sententia discedere videtur, *Meru. p. 6. Dec. 86.* ubi negat, piis locis aut jure communi, aut moribus usuras ultra alterum tantum adjudicari, quam pugnam quidam sic tollunt, quando *Dec. 386. de casu concursus creditorum, Dec. 136. de casu, ubi contra solum debitorem agitur, accipiunt,*

C

Habn.

Elabm. tr. de Altero tanto tb. 90. § 96. qvæ conciliatio displicet
Zaunschliffers tract. de variat. var. 31. dicens, utraqve Deci-
sione agi de casu concursus. Itaque alia ratione con-
cordiam tentat Scharenborst in concil. Decis. Mer. ad var. 31.
statuens, Dec. 136. restringendam esse ad specialem in
facto contingentem casum, quo usuræ piis locis debitæ
ad alimentationem & sustentationem piorum locorum
sunt dicatæ, propter verba Merii in all. Dec. 136. ibi, potis-
simum &c. Vid. J. H. Böhmer in jur. parochi: sect. VI. c. 2. §. 17.
edit. nov. & in jur. Eccles. L. 3. tit 16. §. 29. Interim in Pome-
rانيا nostra usu servatur, & per Constitutionem von
Kirchen-Schulden §. 2. ita sancitum est, ne in concursu
creditorum usuræ ultra alterum tantum piis locis adju-
dicentur, per verba: Es sind aber belagte Zinsen ad
alterum tantum moderiret und zu 5. pro cent. gesetzt.
Imo secundum dispositionem Juris Lubecensis in civi-
tatibus, qvæ eodem utuntur, non nisi unius anni usuras
Xenodochiis in concursibus creditorum adjudicari,
quotidiana testatur experientia. Cæterum, cum debi-
toribus calamitatibus belli depauperatis hoc beneficii
indultum sit, ut Creditores usuras annorum quorund-
am ipsis remittere debeant, secundum Constitutionem
von Kirchen-Schulden de anno 1670. §. 2. non minus
pia loca de residuis biennales usuras pro anno 1659.
& 60. remittere tenebantur. At enim vero propter
bellum in anno 76. 77. 78. 79. quæ pia loca in dem Land-
tags Abschied de dato Greiffswald den 4. Martii 1680.
singulare quid statutum in verbis, worunter aber die
Kirchen und andere pii Creditores, so in selbiger consti-
tution §. 7. exprimiret/ durchgehends nicht mit begriffen//
sondern was und wie viel. daher demselben nach Unter-
scheid

Scheid so wol sbrer eignen / als der Debitoren condition zu remittiren seyn möchte / Judicis arbitrio beimgesellet. Praxi tunc temporis observatū legimus, qvōd pia loca, cum alii Creditores usuras 4. annorum remittere teneantur, plerumqve biennales saltem remiserint. Propter nuperum bellum in *Const. de anno 1714. de piis locis* nihil expresse est cautum. Novimus vero, usuras sine ulla remissione piis locis sæpius esse adjudicatas.

§. XII.

Qvōd ad solutionem attinet, habent hoc Xenodochia singulare, qvōd Creditor favore illorum particularem solutionem acceptare teneatur, pariter sicut hoc favore libertatis receptum est in *leg. 4. §. 6. ff. de Statu liber. Stryck. in notis ad Brunnem. Jus Eccles. Lib. 2. Cap. 15. §. 33.* Similiter, qvōd Xenodochio indebitè solutum est, repeti non posse, statuunt Doctores, nisi solvens ex tali solutione ad paupertatem reducatur, ad exemplum dotis indebitè solutæ, per *leg. 32. §. pen. de condict. indeb. Mer. p. 2. Dec. 190. Stryck. loc. cit.* Ast nobis hoc privilegium ad piæ causas universaliter extensum non satis in *l. all. 32. fundatum*, minus vero æqvitati naturali conveniens videtur, cum pia causa non debeat habere impias manus, & retinere, qvōd non est sibi debitum, aut sine causa lucrum cum proximi damno. Vid. *Rechenberg. Diss. de eo qvōd in pia causa impium est, sub Pras. Dn. Wernberi.*

§. XIII.

Deniq, qvamvis per Jus Civile Xenodochiis aliisq, piis corporibus in Concursu Creditorum haud aliud beneficium sit indultum, qvam ut post hypothecarios omnes personali saltem privilegio fruantur *leg. pen. §. 2.*

ff. de rebus ant. jud. poss. per Constitutiones tamen Provinciales Pomeraniae nostrae aliud sancitum fuit. Per istas enim Xenodochiis hoc privilegii datum est, ut omnibus hypothecariis, tam publicam, quam privatam, tam generalem, quam specialem hypothecam habentibus, etiam cum privilegio, veluti uxoribus in persecutione dotium suarum praerantur. Vid. *Constitutio von Kirchen-Schulden §. 1. anfänglich und zuerst 11. 12. Classificatio Creditorum §. zum achten.* Quibus responder *Ordinatio Judiciaria Stralsundensis. Cap. 36. §. zum siebenden 11. et.* Quod tamen saltem intelligendum de debitis Xenodochiorum propriis, non quæ ipsis cessã, aut etiam ex causa lucrativa in ista translata sunt, quippe in quibus iuribus auctorum suorum saltem utuntur. *Constit. von Kirchen-Schulden loc. cit. Brunnem. ad leg. fin. ff. de alien. jud. mut. caus. fact. n. 2.*

§. XIV.

Incidenter circa hanc materiam quæritur, an Xenodochium privilegia sua alteri cedere, & cessionarius iisdem uti possit? quod negandum videtur, quia ista privilegia veluti personalia sunt, quæ personas non egrediuntur, atque hinc etiam extraneo cedi nequeunt. *Mev. P. 4. D. 151. n. 2. 3.* Sed, quia Xenodochia habent jura Fisci, & ab hoc ad ista recte argumentum ducitur; *Id. P. 5. D. 319. n. 5.* de fisco vero expediti juris est, quod, si cedat privilegia sua alteri, tunc cessionarius iisdem fruatur *leg. ult. C. de privilegiis fisci. Brunnem. ad b. leg.* nulli prorsus dubitamus, quin & cessionario beneficiis Xenodochii frui queat, si hujus interfit. *Mev. P. 4. D. 151.* Imo si quis pecuniam ab alio debitam Xenodochio solverit, iste etiam sine cessione in privilegia ipsius succedit & in
ejus.

ejus locum furrogatur, leg. 24. §. ult. ff. de reb. aut. jud. poss.
 l. 1. C. eod. l. 1. C. de his, qui in prior. cred. Carpz. P. 1. Const. 28.
 Def. 124. Stryckio de Caut. Contr. Sect. 2. Cap. 4. §. 40. Brunnerus.
 ad dicti. leg. 24. ff. de rebus aut. jud. poss.

CAPUT III.

DE

JURE XENODOCHIORUM PROPRIO & PECULIARI circa successionem in bona ingressorum.

SUMMARIA.

Connexio hujus Capituli cum precedenti §. I. Xenodochiis
 competit in plurimis locis jus succedendi §. II. Origo
 hujus juris §. III. Affertur ratio pro isto stabiliendo, &
 respondetur ad contraria saltem remissive §. IV. Con-
 troversia circa jus hereditarium Xenodochiis competens decidenda
 est ex jure Xenodochiarum §. V. Monachi ante ingressum de bonis
 suis dispoere possunt, secus post istum §. VI. Est itaque omnis
 dispositio post ingressum ipso jure nulla §. VII. Queritur, an
 Xenodochium excludat liberos ingressorum ab hereditate? §. VIII.
 an etiam Parentes? §. IX. Succedit Xenodochium jure univer-
 sali in omnia jura tam activa quam passiva §. X. & sic etiam
 in jus adeundi hereditatem ingresso delatam, quod prejudicio
 firmatur §. XI. Epilogus §. XII.

§. I.

Expositis hactenus quibusdam juribus singularibus
 & privilegiis, quæ tamen Xenodochiis cum aliis
 piis causis communia sunt, tractandum jam nunc nobis
 erit.

C 3)

erit jus ipsis proprium & peculiare, hereditarium
nempe in bona omnia ingressorum demortuorum.

§. II.

Ita nimirum inveteratâ consuetudine & observantia, multis præjudiciis in judicio contradictorio corroboratâ non saltem in urbe Stralesundensi, sed & alibi invaluit, ut Xenodochia post mortem ingressorum, quique in iis adoptati & sustentati fuerunt, illis ex asse fiant heredes, succedantq; in omnia jura, quæ defuncti habuerunt, nisi per pactum id ipsum fuerit immutatum, & datâ vel promissâ certâ pecunia inter hospitalarios & ingressos conventum, ut bona heredibus post mortem restituantur.

§. III.

Descendit hoc ipsum jus succedendi Xenodochiis competens ex jure veteri Monasteriorum, quò inclinat *Brunnemannus de Jure Eccles. Lib. 2. Cap. 10. §. 7.* in fine præcipue ex Authentice ingressi & si qua mulier *C. de SS. Eccles. item ex Novell. 76. & Novell. 123. Cap. 38.* & ambigendum plane non est, quin legum istarum dispositiones, eliminato licet apud nos Monachorum ordine, ex abolito omni Monasteriorum antiquo usu, Xenodochiis nostris, tanquam in illorum locum legitime surrogatis, justè fuerint applicatæ, & vel expresso statuto, (quale etiam in multis reperitur,) vel, quod idem est, inveteratâ consuetudine & observantia post tempora Reformationis in iisdem introductæ.

§. IV.

Secundum naturam scilicet est, commodum sequi eum, cujus est incommodum *leg. 10. ff. de R. J.* ut adeo lucrum successionis jam naturaliter debeat Xenodochio,

chio, cui onus alimentandi ingressos incubuit, & pro-
 pitio iure excludat illorum proximos alias heredes, qui
 in spem futuræ successione incommodum sustentatio-
 nis subire noluerunt. Nec obstat, quod tali modo
 ingressis libera testandi facultas adimatur, quod fieri
 nequit secundum *leg. 61. ff. de verb. obl.* imo, quod pactis,
 (idem de statutis & consuetudine multi DDres asserunt
Gilcken. ad l. 15. C. de pact. n. 4.) hereditas nec dari, nec
 adimi possit per *leg. fin. C. de pact. leg. 5. C. de pact. convent.*
 Nam non inveniunt locum hæ rationes in causis piis,
 & ubi de favore pauperum agitur. *Meibsnerus Decis.*
Camerar. Tom. 3. Dec. 26. ubi à num. 8. usque ad 32. fufius
ad hæc argumenta respondet.

§. V.

Quodsi itaque hodiernum, in locis, ubi per statu-
 tum vel inveteratam consuetudinem Xenodochiis jus
 succedendi competit, controversia oriatur, quæ jus suc-
 cedendi Xenodochiorum tangit, nulli prorsus dubita-
 mus, quin ista ex jure veteri Monasteriorum sit deci-
 denda, quod idcirco in hoc Capite paucis exponere, &
 simul ad Xenodochia nostra applicare animus est.

§. VI.

Sicuti ergo de jure veteri ante ingressum Mona-
 sterii quis licentiam habebat, suis uti, quo voluerit
 modo, (scilicet per dispositionem testamentariam &
 ultimam voluntatem, nam eam, quæ fit inter vivos per
 donationem, renunciationem, obligationemve aliam,
 Concilium Tridentinum irritaverat, ex hac ratione, ne
 spoliatus bonis ante ingressum minus liberè ingredia-
 tur, occasione dimissorum bonorum in detrimentum
 Mona-

Monasterii, *Zæsius in Comment. ad Decretales Lib. 3. Tit. 37. n. 26.*) post ingressum vero sequebantur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit, & non poterat Dominus earum ulterius esse ullo modo per *Authent. ingressi C. de SS. Eccl. 5. Nov. s. cap. s. c. 2. X. de Testam.* ita pari modo, qui Xenodochia ingrediuntur, donasse censentur proprietatem rerum suarum, extra quam si ad corporis sui sustentationem inde quid indigeant. Hinc integrum illis haud est, de bonis suis disponere, illa donare, aut legare, aut per contractum in alios transferre, quippe dominio istorum jam destitutis, sed omnia Xenodochio, velut successori universali relinquere tenentur, nisi ante ingressum de istis jam disposuerint *Baro de Lyncker Resp. 138. n. 7. 5. 8.* quod valere debet, etiamsi Xenodochium plane sit præteritum *Peretz in Cod. Lib. 1. Tit. 2. n. 15.* modo cogitatione ingrediendi testamentum conditum sit, alias enim per ingressum, veluti per agnitionem posthumi rumpi tale testamentum putat communis Doctorum schola. *Vid. Brunnem. ad authent. si qua mulier C. de SS. Eccl. n. 16.* Contrarium tamen statuit nec sine ratione *Zæsius ad Decret. Lib. 3. Tit. 26. n. 15.* item *Fachinaus controvers. Jur. P. 2. Lib. 6. Cap. 14.* Nec puto attendendam apud nos esse prohibitionem Concilii Tridentini quoad dispositiones inter vivos, donationem nimirum, renunciationem, &c. cum ratio ejus haud admodum quadret, nec auctoritas illius Concilii nos stringat, è contrario vero per *Nov. s. Cap. s.* generaliter dispositum sit, quod ante ingressum de bonis suis quis disponere possit, quocumque etiam voluerit modo. Post ingressum vero mutare testamentum prius factum, aut novum condere, & aliter de

ter de rebus suis disponere haud licet. *Peretz. in Cod. loc. cit. Fachineus loc. cit. Cap. 15.*

§. VII.

Ex hisce adductis sua sponte liquet, quod si nihilominus ingressus de bonis suis insciis & invitis hospitalariis disposuerit, illa alienaverit, donaverit aut alio quocunque titulo in alterum transtulerit, id omne sit ipso jure nullum, & Xenodochio jus & potestas competat, res tales non saltem retinendi, sed & à quolibet, etiam vivente adhuc ingresso, vi translati in illud domini, vindicandi.

§. VIII.

Queritur porro, an Xenodochium excludat in hereditate ingressorum liberos eorundem etiam quoad legitimam, quod ad exemplum Monasteriorum negamus, quippe cum in *authent. si qua mulier C. de SS. Eccles. & Nov. 123. Cap. 38.* sancitum sit, quod liceat ingressis bona sua inter liberos dividere, servatis his duabus conditionibus: primo ne quem liberorum legitima fraudent, & deinde, ne prorsus omnia bona liberis attribuunt, sed suâ persona liberis connumeratâ, partem sibi retineant, apud monasterium mansuram, vid. *Peretz. in Cod. loc. cit. n. 16.* quas quidem conditiones etiam circa ingressos Xenodochia attendendas esse arbitramur. Imo etiamsi haud ita inter Liberos disposuerint, his nihilominus tamen legitima salva esse debet, reliquâ substantia apud Xenodochium manente per *Nov. 123. Cap. 38. in fine,* & possunt liberi hanc legitimam petere, quamvis Parentes ingressi adhuc vivunt. *Fachineus Contr. Jur. P. 2. Lib. 6. Cap. 13.* cui non obstat, quod alias filio legitima non debeatur vivente Patre per *Leg. 1. §. 21. ff. de*

ff. de collat. bon. nam summâ æquitate & ratione videtur excipiendus casus iste, ne vel filias legitimo bonorum subsidio careat, aut Xenodochium onus habeat alendi filium. *Id. ibid. in fine.*

§. IX.

Non autem, uti liberis, ita pari modo etiam Parentibus ingressorum de hereditate illorum debetur legitima, licet alias de Jure Civili, quoad petitionem legitimæ, Liberi & Parentes æquali jure fruantur, sed Xenodochium illos excludit, quia ad instar Monasterii habetur loco filii & quasi posthumi per *Authent. nisi rogati C. ad SCtum Trebel. Brunnem. ad h. auth. n. 1. Zoesius Comment. ad Decret. Lib. 3. Tit. 27 n. 12. in fine. Michsnerus Decis. Cameral. Lib. 1. Decis. 26. n. 251. & Lib. 3. Decis. 26. n. 7.* ubi disertè ait: vere dici potest, cum hospitale juxta statutum vel consuetudinem universaliter in omnibus bonis succedit, illud ad instar Monasterii non solum pro herede, sed & pro filio habendum esse. Jam vero notissimi juris est, existentibus Liberis demortuorum Parentibus de hereditate eorundem nihil, ne quidem legitimam deberi, sed hos ab illis plane excludi. Accedit ratio, quod in supra dicta *Authent. si qua mulier C. de SS. Eccles. & Nov. 123. cap. 38. in fine*, liberis ex speciali favore saltem facultas data sit, petendi legitimam non vero pari modo Parentibus, quod vero lex non cantat, nec nos cantare debemus, secundum vulgatum illud.

§. X.

Dictum supra est, Xenodochium universali jure succedere in bona ingressorum, ut adeo non solum illata, sed etiam extra Xenodochium existentia, quid? quod omnia etiam tam activa, quam passiva jura eorundem.

rundem in illud transferantur. Quoad passiva certum est, si hæc hereditatem superent, Xenodochium istâ abstinere, aut, si jam adita sit, restitutionem in integrum contra aditionem petere posse, imo ipso jure ultravires hereditatis, si sine inventario adierit, non teneri putant Tiraquellus *de Privil. pie caus. privil. 88.* & Barbosa *in Coll. ad Auth. sicut alienatio C. de SS. Eccl. quibus tamen contradicit Fachinaus Part. 2. Controv. Jur. Lib. 6. Cap. 20.* admittens nihilominus restitutionem in integrum adversus omissam inventarii confectionem.

§. XI.

Quod vero ad jura activa attinet, exsurgit inter alia quæstio, an Xenodochium etiam succedere possit in hereditatem ingressis delatam. Circa quam distinguendum venit, an scilicet ingressi in favorem agnatorum ante ingressum hereditati jam delatæ aut aliquando ipsis obventuræ renunciaverint, an vero citratalem renunciationem Xenodochium ingrediantur, & postmodum ipsis hereditas deferatur. In priori casu Xenodochium nihil juris acquirat, cum supra §. 6. jam monitum, licere ingressis ante ingressum de bonis suis disponere, quocumque etiam voluerint modo. In posteriori vero succedit Xenodochium omnino in hereditatem ingressis delatam, nec interest, an adita jam sit hereditas ab ipsis, an non, scilicet vel quod noluerint, vel quod non potuerint illam adire. Ita nimirum sentiunt Canonistæ, quod ipso jure & absque aliquo facto Monachi hereditas immediate deferatur Monasterio, & quod Monachus in præjudicium Monasterii de non succedendo post ingressum pacisci non possit, imo, quod monasterium invito Monacho delatam ipsi hereditatem adire

adire queat. *Meichsnerus Decif. Cameral. Lib. 1. Decif. 26. n. 252. feqq. Zaſius ad Decretal. Lib. 3. Tit. 27. n. 12. Fachinæus Contr. Jur. P. 2. Lib. 6. Cap. 17.* Pari modo & poteſt monaſterium adire hereditatem, ſi Monachus deceſſerit, ante illam aditam. *Fachinæus loc. cit. Cap. 18.* & ſecundum hæc principia ab A. Senatu Straleſundeniſi pro Xenodochio judicatum, iſtiqve jus illud aſſertum eſſe ſcio, cum anno 1710 caſus obveniret, ut mulieri cuidam in Xenodochium Divi Johannis ingreſſæ hereditas fratris defuncti deferretur, quam tamen ipſa, morte paulo poſt præventa, adire non poterat.

§. XII.

Et hæc de juribus Xenodochiorum præcipue circa ſucceſſionem in bona ingreſſorum pro temporis anguſtia & imbecillitate noſtra ſufficiant. Facilis erit reſponſio ad alia dubia, circa iſta occurrentia, ſi jura piarum cauſarum præprimis autem Monafteriorum in ſubſidium ſemper vocentur, valet enim argumentum à Monafterio ad Xenodochium, niſi manifeſta adſit diſparitatis ratio, aut ſtatutum & conſuetudo in contrarium. Colophonem jam nunc impono Diſſertationi huic, ingenuè promittens, me meliora docentem ſponte ſecuturum. Interim ſummo rerum omnium Moderatori & Arbitro ſit honor & laus in ſempiterna ſecula.



(1706-25)

Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle
005 372 038

3



56





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

7774.

I. N. J. A.

1721

30

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DEJURIBUS XENO-
DOCHIORUM,PRÆCIPUE CIRCA SUCCESSIO-
NEM IN BONA INGRESSORUM,*Quam*
Juvante DEO T. O. M.
Consensu Magnifici Jctorum Ordinis
in Alma Gryphica,
PRÆSIDE*VIRO Excellentissimo, Amplissimo, Consultissimo*DN. PHILIPPO BALTHASARE
GERDES,Jcto & Antecessore celeberrimo, Consistorii Regii Assessore
gravissimo, & Facultatis Juridicæ Decano,*Patrono & Promotore suo æternum devenerando,*

Pro consequendis summis in utroque Jure honoribus;

*die 12. Junii Anno 1721. horis consuetis**publico eruditorum examini submittet,*

LUCAS FRIEDERICH SCHRÖDER,

Güstrov. Megro.

Summi Tribunalis & Dicasterii Regii Advocatus.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.